

SCRIPTA

Numéro Scripta : 112

Autre(s) référence(s) : Tabuteau 502

Auteur(s) : Néel [vicomte]

Bénéficiaire(s) : Saint-Sauveur-le-Vicomte, Saint-Sauveur-le-Vicomte (abbaye)

Genre d'acte : pancarte

Authenticité : non suspect

Datation : 1090

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

Pancarte des donations reçues par l'abbaye de Saint-Sauveur-le-Vicomte par le vicomte Néel et d'autres bienfaiteurs.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Histoire du château et des sires de Saint-Sauveur-le-Vicomte*, Valognes, Martin, 1867, pièces justificatives, n° 45, p. 50-55.

b. Société jersiaise , *Cartulaire de Jersey*, recueil de documents concernant l'histoire de l'île conservés aux archives du département de la Manche. 1er fasc., Jersey, Beresford, 1918, n°167, p.244-247.

Dissertation critique

La date « vers 1090 » est donnée par L. Delisle.

Texte établi d'après a

In nomine sancte Trinitatis et individue. Ego Nigellus vicecomes concedo et auctoritate sigilli mei confirmo abbatie Sancti Salvatoris et monachis ibidem Deo servientibus omnem decimam ejusdem ville, de annonae et pecunia, et ecclesiam Sancti Johannis ubi parrochia colligitur, ut habeat in suo dominio. Concedo etiam ut abbatia sit libera et quieta ab omnibus consuetudinibus episcopalibus et aliis que ad me pertinent. Concedo iterum eidem abbatie omnem decimam de pasnagio et de venacione et de omnibus consuetudinibus silve similiter, et de silva [de]Selessuef, et de maresc, et de silva, ad suum opus, scilicet ad suum ignem jacens nemus et stans siccum, et materiam ad suum herbergamentum, ita convenienter sicut ego ipse habeo. Et quia in meo molendino sine moltura et loco monachi molere solent, do eis proprium molendinum cum tercia parte aquae ; quod si aliquo infortunio molere non poterit, sine moltura molant ad meum molendinum. Et de pescheriis quas habeo in meo dominio in aqua que vocatur Unva, et de aliis pescheriis quas homines de me tenent, concedo eis decimam, usque ad eum locum qui vocatur Longa Racha, et de foro, et de nundinis, et CCXL acras terre in villa Sancti Salvatoris, et tres pescherias in aqua que vocatur Unva. Hec omnia confirmo scripto et sigillo, et ea que secuntur ex dono bonorum hominum. Osulfus Broc dedit duas partes decime sue.

Guillelmus de Aauvers, filius Helgi, dedit decimam de molendino de Nova villa de sua parte, et in Ingulvilla duas partes decime de tribus vavassoribus.

Willelmus filius Hastench dedit ecclesie Sancti Salvatoris quartam partem de silva Segie, concedente Nigello vicecomite.

Robertus de Aauvers et Guillelmus filius Turgisi dederunt abbatie Sancti Salvatoris totum quod tenent in ecclesia de Aauvers. Et decimam de uno molendino in villa Tornebosc dedit Robertus de Aauvers. Decimam quoque omnis terre sue, quam tenent in Auvers, cum tribus bordariis dederunt.

Ricardus Mala Bestia dedit omnis terre sue decimam quam tenet in Aauvers.

In Freevilla tenet ecclesia Sancti Salvatoris terram ad unum aratrum, et duas acras de prato, et decimam ecclesie totius illius parrochie cum terra elemosine sue.

In Trahelvilla tenet ecclesia Sancti Salvatoris terram ad unum aratrum, et de duobus molendinis decimam, et duas partes decime de omnibus rusticis, scilicet de garbis et de lino, et unam acram de prato. Et Goisfredus de eadem villa presbiter dedit tres acras terre et omnem decimam de suo dominio.

Ecclesiam Sancti Germani de Mari, cum decima omnis parrochie, et terram ad unum aratrum, et unam acram de prato dedit Hugo monachus Sancto Salvatori, concessu Nigelli vicecomitis.

In Treavilla dedit Willelmus dapifer decimam unius molendini.

Similiter Willelmus de Joganvilla dedit decimam unius molendini.

Willelmus Baart dedit decimam molendini de Benedicta villa.

Radulfus Falcheman et Willelmus Baart dederunt decimam unius molendini quod inter se tenebant.

Et vavassores de Flamenvilla decimam dederunt unius molendini.

Rualonus de Grocei dedit Sancto Salvatori in Hoivilla de sua decima duas partes, quam tenet de Radulfo de Mairie.

Osbertus Grosbec dedit decimam omnis terre quam tenebat in eadem villa.

Ecclesia Sancti Salvatoris tenet in insula de Gerseio tres ecclesias, scilicet ecclesiam Sancti Petri, et Sancti Clementis, et Sancti Helerii, et quintam partem decime annone aliarum omnium ecclesiarum que sunt in eadem insula.

Willelmus Theoderici dedit in elemosina abbatie Sancti Salvatoris duas acras terre in prefata insula de Gerseio, pro anima sua et anima Balduini filii sui.

Ranulfus presbyter dedit sex acras terre.

In Escalda villa tenet ecclesia Sancti Salvatoris terram ad unum aratrum, et unam acram de prato, et decimam totius parrochie, et ecclesiam cum terra elemosine sue.

Terram totam Anschetilli Torte barbe, que est in Nova villa, et unum molendinum tenet ecclesia Sancti Salvatoris sicut Nigellus ei donavit. Et in eadem villa dedit Nigellus Sancto Salvatori terram Roberti vavassoris, et triginta acras terre quas tenebat Hunfridus Estricart, et alias triginta acras quas tenebat Anslech Graverenth.

In villa que vocatur Radulfi dedit Nigellus Sancto Salvatori terram quam tenebat Anschetillus filius Grimoldi, et quam tenebat in insula que vocatur Guernerui.

In Henevilla tenet ecclesia Sancti Salvatoris terram ad unum aratrum, et decimam totius parrochie, et ecclesiam ejusdem ville cum terra elemosine sue, et unam acram de prato, et decimam unius molendini.

Dimidiam decimam Osmundi ville dedit Roigo Sancto Salvatori, et decem et octo acras terre in Bernardi villa, concessu Eudonis vicecomitis.

Ecclesiam de Tornebusc, cum uno vavassore, et decimam totius parrochie dedit Eudo vicecomes, concessu Henrici comitis.

Ecclesiam de Glatiniaco dedit Eudo vicecomes Sancto Salvatori, cum decima ejusdem parrochie.

In villa que dicitur Columba tenet ecclesia Sancti Salvatoris terram ad unum aratrum, cum uno vavassore, et decimam in foro ejusdem ville, et decimam de pasnagio, et decimam omnium rusticorum ejusdem parrochie, et decimam unius molendini.

In Escalde villa dedit Eudo vicecomes decimam unius molendini. Similiter in Estrei decimam dedit unius molendini.

Bernardus Vetula dedit Sancto Salvatori decimam de uno suo molendino de sua parte.

In Buevilla dedit Nigellus vicecomes unum vavassorem.

In Nova villa dedit Robertus de Belgavilla quadraginta acras terre.

In Clarebec dedit Ricardus Baart triginta acras terre.

Nigellus vicecomes dedit Sancto Salvatori Ricardum de Podiis cum sua ecclesia et cum omni terra quam de illo tenebat.

In Magna villa dedit Carbonnel decimam unius molendini et decimam terre quam tenebat de vicecomite.

In Butevilla dedit Ricardus presbiter Sancto Salvatori ecclesiam suam cum decima ejusdem parrochie.

Robertus Capfrei dedit decimam unius molendini.

Ranulfus de Poiis dedit in Golnobusc terram quam tenebat in eadem villa. Teste Radulfo de Belgavilla, et Rogero camerario, et Roberto Foliot, Unfrido de Lesvino, Willelmo Baart, Carbonnel.

Paganus de Guelebou, monachus noster, dedit Sancto Salvatori terram de Nova villa, que est in honore Girardi de Gornaiacho. Testibus : Gaufrido sacerdote de Aauvers, et Willelmo Gradario filio Auscheri filii Grimou, et Gaufrido pistore nostro, et Unfrido mercatore.

Turstenus sacerdos Papans animas dedit terram quam habebat in insula Gersoi [ecclesie] Sancti Salvatoris, hominibus prope supra scriptis existentibus testibus, et Ranulfo sacerdote, et Gaufrido sacerdote, nepote ejusdem Tursteni, et Willelmo sacerdote de Catevilla similiter testibus.

Willelmus Helgi filius de Alvers dedit ecclesie Sancti Salvatoris quidquid habebat in ecclesia ejusdem ville, Alvers scilicet, concedente domino suo Eudone vicecomite, Ricardo Mala Bestia existente teste ex sua parte, et ex nostra Rogero camerario, Unfrido de Lesvino et Unfrido de Perceio.

Willelmus gener Guernac dedit abbatie Sancti Salvatoris decimam cujusdam molendini in insula Guernerroi, et quidquid habebat in ecclesia Boteville ; et Godefridus de Grocei similiter quicquid habebat in eadem ecclesia concessit, ita ut ab eo cognoscatur.

Sciendum est quod Rogerus camerarius dedit terram suam quam habebat in villa Sancti Salvatoris abbatie et monachis ejusdem ville, et illam quam habebat in villa que dicitur Columba, que est de feodo Nigelli vicecomitis. Testibus ex parte monachorum : Sellone carpentario, et Willelmo fratre ejus, Angoto coco, Willelmo Docto et Petro clericu; ex parte vero camerarii : Willelmo Aszoni filio, Anscherio de Treielvilla, Rogero sacerdote de Caunvilla. Sciendum est presentibus et futuris quod Nigellus monachus Giroldi ville concessit abbatie Sancti Salvatoris ecclesiam Sancti Martini, supradicte ville scilicet, Briennio filio suo concedente perpetualiter si sine filiis spouse moreretur, cum omnibus suis, quod factum est in capitulo Sancti Salvatoris ubi societatem suam accepit. Testibus Eudone vicecomite, Rogero camerario, Ansellino clericu; et aliis multis.